

mas auditorum demulcens, in ira iudicium sine ira tenens, in tranquillitate severitatis justæ censuram non deserens. Hæc est, frater charissime, pallii accepti dignitas : quam si sollicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. S. Trinitas fraternitatem tuam per tempora longa conservet incolumem.

Ego Gelasius catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Signum manus meæ : DEUS IN LOCO SANCTO SUO.

Ego Crescentius Sabinensis episcopus, etc.

Caietæ, per manum Chrysogoni R. E. cardinalis, XII Kal. April., ind. XI, anno Dom. Incarn. 1118, pontificatus autem domini Gelasii papæ II anno I.

VI.

Ad Bernardum Toletanum episcopum, Hispaniæ primatem. — De Mauritio in sedem intruso.

(Anno 1118, Mart. 25.)

[MANSI, *Concil.*, XXI, 167.]

GELASIVS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri BERNARDO archiepiscopo Toletano et Hispaniarum primati, salutem et apostolicam benedictionem.

Non latere credimus fraternitatem tuam qualiter frater quondam Mauritius Bracarensis episcopus se jam diu habuerit, qualiter Ecclesiam suam dimiserit, et quomodo regi excommunicato adhæserit, et contra statuta canonica in cubile Romanæ Ecclesiæ se ingresserit. Nec eum miramur debitam tibi obedientiam et antiquum primatus honorem Ecclesiæ tuæ penitus denegasse : qui Romanam Ecclesiam, quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non solum negare, sed destruere quodammodo conatur, etc. Monemus itaque atque præcipimus ut juxta mandatum prædecessoris nostri ad electionem in Bracarensi Ecclesia faciendam sollicitudine charitatis debitæ operam et opem præbeas cum effectu. Ipsum vero Mauritium excommunicatum et perjurum, et matris Ecclesiæ constupratorem publicum, cæteris Hispaniarum prælatis, etc.

Data Caietæ, etc.

VII.

Ad Bernardum Toletanum et cæteros Hispaniarum episcopos.

(Anno 1118, Mart. 25.)

[BALUZ., *Miscell.* edit. Luc. I, 144.]

GELASIVS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri BERNARDO Toletano primati et cæteris Hispaniarum episcopis.

Non latere credimus fraternitatem vestram qualiter frater noster Mauritius Bracarensis episcopus se jam diu habuerit, et quomodo Ecclesiam suam dimiserit et quomodo regi excommunicato adhæserit. Illud etiam, ut opinamur, nostis, quod a prædecessore nostro sanctæ memoriæ Paschali papa in concilio excommunicatus sit, et quod Bracarensi eccle-

sia sit mandatum ut pastorem sibi alium provideret. Nunc tandem per regis tyrannidem, post longum electionis meæ spatium, in cubile sanctæ matris Ecclesiæ se ingressit. Ideoque fraternitati vestræ mandamus ut ad electionem in Bracarensi ecclesia faciendam sollicitudine charitatis debita operam præbeatis. Ipsum vero Mauritium excommunicatum, perjurum, et matris Ecclesiæ constupratorem cæteris Ecclesiæ filiis publicetis.

Datum Caietæ VIII Kal. Aprilis.

VIII.

Ad Pontium abbatem Cluniacensem. — Privilegium Cluniacense.

(Anno 1118, April. 12.)

[MANSI, *Concil.*, XXI, 171.]

GELASIVS episcopus, servus servorum Dei, charissimo fratri PONTIO Cluniacensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Cluniacensis monasterii prudens religio, et religiosa prudentia, et ante nostra, et nostris temporibus, Romanam Ecclesiam maxime sibi fecit obnoxiam. Sed præter illud commune dilectionis debitum, personæ tuæ sinceritas mihi semper amabilis, semper optabilis, charitatis nostræ viscera plenis, ut nosti, finibus ampliavit. Idcirco petitionibus tuis, illis præcipue quæ ad monasterii vestri quietem et salutem spectant, nequaquam duximus obviandum. Per præsentis igitur decreti paginam, secundum postulationem fraternitatis tuæ, præcipimus atque statuimus ut quidquid possessionis ad Cluniacense monasterium pertinentis reverendissimæ memoriæ prædecessor tuus Hugo in die mortis suæ per authenticam Romanorum pontificum concessionem quiete ac sine calumnia possidebat, tu quoque tuique successores quiete ac sine calumnia possideatis. Ea etiam quæ post tuam provectionem Cluniacensi monasterio, vel per fratrum tuorum industriam, legitime acquisita sunt, firma, quicta et integra conservanda censemus. Volumus enim Cluniacense monasterium, auctore Deo, in quiete perpetua, et tranquillitate persistere, ut a sæcularibus tumultibus liberi, omnipotentis Dei servitio vacare quietius valeatis.

Ego Gelasius, catholicæ Ecclesiæ episcopus, subscripsi.

Datum Capuæ II Idus Aprilis, per manum Grisoni S. R. E. diaconi cardinalis, anno Dominicæ Incarnationis 1118, indict. XI, pontificatus autem Gelasii II papæ anno I.

IX.

[CONONEM] episcopum Prænestinum, sedis apostolicæ legatum, certiore facit de archiepiscopo Bracarensi papa per imperatorem constituto.

(Anno 1118, April. 13.)

[MANSI, *Concil.*, XXI, 173.]

GELASIVS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri C. [CONONI] Prænestino episcopo, apostolicæ sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.